

Michael Watson Samuel Forberger

Disputatio Politica, Exhibens Theses Aristotelicas de Societatibus, & Rebuspublicis

Rostochi[i]: Richelius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215563>

Druck Freier  Zugang



M. Watsonius (S. Forbuzer)

R. U. phil. 1650.

DISPUTATIO POLITICA;
Exhibens

Theses Aristotelicas
de

SOCIETATIBUS,
&
REBUS PUBLICIS,

Quam

Divinâ favente Gratiâ

Suffragio

Amplis, Facult. Philosophicæ in Florentis;
Academia ROSTOCHIENSI

Sub Præsidio Clarissimi & Doctissimi

M. MICHAELIS WATSONII,

Publico Examine subjicit

SAMUEL FORBERGER,
Löblichürzenfis Altenburgô Misnicus.

Ad diem 6 April. in Auditorio Majori.

Horis pomerid.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat, Typogr. An. 1650.

DISPUTATIO POLITICA

THESE ACADEMICA

SOCIETATIS

REPUBLICANAE



M. MICHAELIS WATSONII

PROFESSORIS

PHILOSOPHIAE

1704

Rostock

in aedibus Johannis Gleditsii

PLUTARCHUS existimat parvōs veritatis iudices esse maximē
qui proprias sententias non excogitant, sed de aliorum sententiis
judicant easq; explicant. Hæc cum nobis verisimilia videantur,
placuit summi Philosophi sententiam ex Polit. proponere. Sic
itaq;.

D. D.

Thesis I.

POLITICAM à Philosopho traditam maximē perfectam
esse asserimus, hinc nullas in libb. Politicorum lacunas mendasq;
notabiles reperiri certum est, idq; ex admirabili methodo, con-
nexionē ac uberrima rerum Politicarum tractatione patet. Ne-
quē inde imperfecta est, quia aliena ac nostris temporibus seu bene
seu male introducta, non explicat. Omnia quæ in Rebuspubl. fieri
possunt aut debent, ex Politicâ Aristot. dijudicanda & declaranda esse
putamus.

II.

Initium scientiæ Practicæ, quæ est de prudentia Politica, faci-
endum, ab illa doctrinâ, quæ exhibet Societatum primarum indo-
lem, præmittenda v. de Moribus Doctrina seu Ethica, ex qua genuina
Politicæ principia unice desumenda sunt. Optimè Plato de hoc stu-
dio inquit: Num potes quo quo modo studium id damnare, quod
nullus sufficienter exequi potest, nisi Naturâ sit perspicax, memor,
magnificus, gratiofus, amicus, familiarisq; veritatis, justitiæ, fortitu-
dinis, temperantiæ. Ne momus quidem id carperet.

III.

Hac instructus eruditione Politicâ aptus est quam maximè cui
imperium in civitate committatur. Nam quod Philosophi tales in-
utiles sint ad rempubl. gubernandam, id non fit culpâ Philosophor.
sed eorum, qui his non utuntur. Neq; enim naturæ consentane-
um est, ut gubernator oret navigaturos, quo ejus se gubernationi
committant, vel ut prudentes & sapientes divitum fores accedant
& obtrudant se civibus; dicente Platone.

A 2

Minus

IV.

Minus benè juxta mentem Philosophi Politicæ Constitutionem dererminant.

1. Qui statuunt in illa necessario agendum esse de Ratione status Imperii alicujus particularis; de hodierna praxi, circa quæstiones Civiles.

2. In Ethicis considerari S. B. H. prout indifferenter se habet ad statum solitarium, Civilem & domesticum. In Politicis id restringi ad statum Civilem.

3. Qui in definienda & dividenda Politicâ barbaris terminis utuntur, & numero plurima Principia Politica extra Ethicam, pro genuinis venditant.

4. Qui varios defectus in lib. Polit. Arist. comminiscuntur, ordinè, numerumq; librorum turbant, ac putant Philos. citare libros à se conscriptos & deperditos, quoties mentionem injicit *λογων εζατη-
εικων.*

5. Asseveramus verbis Platonis: Eum qui odit hanc doctrinam, præsertim dum juvenis est, nequaquam discendi cupidum aut sapientiæ amatorem esse, prout illum qui fastidit epulas, vocamus contemptorem cibi. Et cum perinde non sit, à quo Præceptore hanc scientiam quis discat; quia longè gravius periculum est in disciplinis quàm in cibis comparandis, existimamus omnibus aliis Politicis Aristotelem præferendum esse.

V.

Omnis societas boni alicujus gratia est, quod per inductionem probatur, hinc optimam-maximam societatem seu Civitatem circa optimum-maximum bonum tanquam finem versari, colligimus, neq; extra Civitatem quærendum esse summum bonum humanum, hominis, practicum, civile, Civitatis, quæ ex parte rei idem sunt, apparet. Quid autem sit maxima societas cognoscimus si simplices, primas societates naturales scrutemur. Liqueat ad quamlibet societatem constituendam & conservandam necessum esse, ut ad sit 1. virtus sociorum quod quilibet rectè agat, 2. jus ut quisq; accipiat suum. 3. Amicitia quod sibi invicem benefaciant viventes in societate.

VI.

Domesticæ sunt societates ex quibus fit Civitas, secundum naturam.

turam bene se habentem, instituta, ad quotidianæ vitæ usum & commodum. Neq; tamen Civitas est magna domus, neq; domus parva Civitas. Et administratio domus & Civitatis differunt, prout scientia Politica & Oeconomica. Societates illæ domesticæ primæ sunt Maris & Fœminæ seu Mariti & Uxor, Parentum & Liberorum. Domini & servi conjunctio. Debent hæ societates esse naturales quòd sint justæ. Hinc Principium constituendarum Civitatum est Natura non prælectio, finis beata vita. Bene itaq; vivere est finis ad quem omnium societatum fines ordinantur, & principaliter est finis principalissimæ societatis seu Civitatis; cujus membra & partes sunt reliquæ. Societas Civilis est honestarum actionum gratia, seu bene ac beate, non tantum unâ vivendi causa.

VII.

Primæ societates naturales sunt principia Civitatis & Rerump: seminaria & numero Tres. Prima est quando mas & fœmina naturæ instinctu, ad procreationem sobolis, ut species humana conservetur, junguntur. Liberis procreatis oritur altera inter Parent. & Liber. his adjungitur tertia inter Imperantes & obtemper. Dominum & serv. & hæ faciunt domum perfectam. Si Liberi alios procreent & hi vicissim alios nova domus, major societas, & Vicus, ex avo, patre, filiis & filiorum filiis constans oritur. Hæc tamen societas nondum sufficit ad beatam vitam obtinendam. Si ex multis vicis fiat societas constituitur maxima soc: seu civitas sufficiens ad bene vivendum. Et hoc modo omnis Civitas naturâ est, cum omnium Civitatum principium sit naturale. Una quippe societas nascitur & fit à natura post alteram, donec maxima existat societas, quæ est totum, ac finis reliquarum societatum naturalium. Inter eos enim qui societatem, potissimum perfectam inire cupiunt, ad minimum necessum est, ut naturalis amor vigeat, quo velint & possint unâ vivere, ac scopum communem sibi propositum habeant.

VIII.

Ad societatem Civilem, cujus vestigia & in aliis animalibus, per naturam, ut cum sociis sive sui similibus vivant, appetentibus, cernimus, Homo perfectissimum animal, natus est. Inde non vivit ut homo, nisi qui est membrum Civitatis; ut Civilem vitam ageret

homo, ei per naturam data est Oratio & deliberandi facultas de actionibus. Requiritur enim ad bonum Civile obtinendum facultas quaedam, qua homo ex universalibus colligit quænam conducant ad bene vivendum, quæve beatam vitam impediunt; nec non Oratio, per quam ea quæ deliberavit, aliis significare, adeoque utile vel noxium, justum vel injustum manifestare valet.

IX,

Singulæ vero societates primæ, Virtutibus quibusdam exornatæ sunt, ac quemadmodum fines societatum primarum subordinati sunt fini maximæ societatis, sic etiã singularum virtutes, & reliqua in istis societatibus occurrentia respectum habent ad Civitatem. Sic virtutes servi ad Dominum, filiarum ad Parentes, uxoris ad virum, viri virtutes ad Remp. ordinatæ sunt. Hinc vir virtutes civiles maximè exercet, & perfectæ Civiles virtutes quæ rendæ sunt in imperatibus, aut iis viris qui imperare possunt. Si quidem virtutes imperantium immediatè ad vitam beatam tendunt, non tantum ipsi benè vivant, sed quoque quò benè vivant reliqui, causæ esse debent, præscribendo illis leges juxta prudentiam quâ pollent.

X.

Quomodo E. in Republ. viventes agere, acquirere & conservare debeant res possessas per Agriculturam, Venatoriam, Pastorariam seu instituta rerum permutatione, ut negotia omnia vergant ad finem & bonum Civitatis, quomodo Maritus erga Uxorem, Parentes erga Liberos, Domini erga servos & vicissim, se gerere debeant, illa omnia certis & justis legibus à Politico Viro qui imperio præest aut præesse potest circumscribenda sunt, quo Omnes sint S.B.H. magis vel minus participes, ut Civitati & omnibus civibus benè sit. Salus Reip. suprema lex esto.

XI.

Ex doctrina de societatibus sequentia seligimus & interrogantium examini committimus :

1. Prout Totum natura est prius quam partes, generatione autem posterius, sic civitas natura prior est societatibus primis naturalibus. Et uti partes extra totum non sunt, nisi æquivocè partes, sic se habent primæ societates extra civitatem consideratæ.

2. Ad

2. Ad societatem domesticam pertinet bonorum possessio & acquisitio. Uti verò bonorum possessio est pars domus, ita acquisitio est pars domesticæ administrationis. Ad hanc (acquis.) requiruntur instrumenta quorum quædam inanimata, quædam animata & inter hæc etiã servi sunt, qui ad effectiones (sive etiam actiones) adhibentur.

3. Imperare ac obtemperare Utilia, Necessaria & Naturalia sunt, quodq; Naturã servi dentur ex hominum diversorum indole, corporibus, & experientia manifestum est. Et nisi servitus quibusdam hominibus esset Naturalis, omne Imperium Herile naturã injustũ fore certum est, in absolute dicto servo qui de jure alterius imperio subest, adsit naturalis propensio ad serviendum, aptus sit ad obtemperandum aliorum præscriptis per naturam, sitq; res possessa alterius.

4. Melius est servire absolute dictam servitutem, quam lege aut vi quædam sub dominio esse. Servorum naturã conditio, quando per prudentiam & scientiam Dominorum reguntur, ad peragenda Civilia negotia, longè melior est Ministrorum qui ab opificibus & mercatoribus ad efficiendum adhibentur, imò dicente Philosopho, servus qui benè uni servit, & agendo discit virtuosè & honestè vivere, melior est opifice. Quòd autem quædam officia servis competentia sint honorabiliora, quædam magis necessaria etiam constat; & hinc conditio servorum æstimanda magis minusve tolerabilis.

5. Natura suppeditat res possessas ad constituendam domum, ut cum vivo animali generatur lac. Discupiens verò ejusmodi res conservare, acquirere, amplificare iisque rectè uti, præditus sit prudentia Oeconomica & secundum hanc legitimos naturalesq; acquirendi Modos adhibeat. Scilicet res possessas Paterfamilias sibi parare potest, per Agriculturam, pastorariam & venationem. Agricultura reliquis præfertur. Hinc M. Por. Cato Prisci, inquit, Virum Bonum cum laudabant, ita laudabant: Bonum Agricolum, bonumq; Colonum; amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur; Ex agricolis Viri fortissimi gignuntur, maximeq; pius quæstus, stabilissimusq; consequitur, minimeq; invidiosus, minimeq; male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati. Pastores autem pigerri mi esse solent, sed & hic modus acquirendi ex pecorib. naturæ & legi consentaneus est. Sic & Venatio ferarum, avium, quin & homi-

NAVITA

+ Sominus

num barbarorum sine legibus & cultu divino viventium, naturâ justa est. Optime enim de genere humano meritis est, qui primo ad societatem Civilem excolendam eos duxit. Si talis fuerit Nimrod, tantum abest Tyrannum eum nuncupemus, ut beneficium Regem, qui feros quasi homines in societates & Civit. redegit salutemus.

6. Ob hominum diffire habitantium indigentiam, frequens erat olim in negotiis ac contractibus exercendis, rerum permutatio, ante nummorum usum, naturæ conformis & legitima. Qui in una domo habitant, commutatione tali opus non habent, debita autem proportio inter res permutandas observanda, quo justa fiet. Usu nummorum seu pecuniarum introducto, homines, omnes facultates ad pecuniarum comparationem adhibent, præter ipsam Naturam. Hinc varias artes excogitarunt necessarias, partim non necessarias.

7. Improbamus Cauponariam, Fœneratoriam Usurariam & similes artes, quæ pro sine habent, ut sine modo ac sine pecunias cumulent. Imprimis fœnus à natura maxime abhorret. Non male Plutarchus: Fœneratores & usurarios verberones ac barbaros, appellat, quorum debita pariunt, antequam concipiunt; apud quos ex eo, quod neq; est, neq; subsistit, nascitur fœtus. Et recte Cato; Majores nostri, inquit, in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli; hinc licet existimari quanto pejorem Civem existimant fœneratorem quam furem.

8. In quantum Chremastica ad Oeconomum spectet inquiris & explicat Politicus, scilicet in quantum victus & amictus ratio attendenda venit, prout ipsius naturæ munus est, victum præbere ei, quod genitum est. Sic naturæ consentanea est illa acquirendi ratio, quæ in fructibus & animalibus colendis nutriendisq; occupatur. Qui verò technis ac fraudibus, aut artibus bonisq; alioquin disciplinis utuntur ad pecuniarum acquisitionem, mali sunt. Sophista enim olim erat ~~genialis~~ non ~~genialis~~, non solum ex apparenti sapientia denominabatur, sed erat ipsius finis ac propositum, quærerere ex apparenti sapientia lucrum.

6. Dantur quoq; mixti acquirendi Modi, & hi laudabiles adeo non sunt, cum longius à natura recedant ut ex agricult. & cauponaria. Pastoraria & mercatoria &c. Mercenaria autem facultas quæ
opifi-

opifices & operarii sibi acquirunt vivendi media aut pecunia, laudem vel vituperium habet, hinc operum mechanicorum diversitas oritur, prout opifices & operarii ingeniosi, liberales, vel sordidi & illiberales, appellantur. Monopolia etiam ad divitiarum comparationem conducunt, quod autem iusta sint, verisimile non est; neque enim per ea verae divitiae acquiruntur, sed conjuncta sunt cum alterius damno.

10. Tria imperii genera in statu domestico occurrunt. Herile, hoc iustum est, si Dominus per naturam prudentior sit servo. Paternum iustum est, quando Pater aetate, amore & prudentia major, imperat filiis, quod boni viri seu cives fiant. Civile imperium, obtinet maritus in uxorem, idque natura iustum & legitimum est, cum praerogativas aliquot vir praer muliere habeat, aetate, prudentia, corporis habitu, seu virtutibus animi & corporis praestet. Hinc Mas per naturam aptior est ad imperandum quam foemina. Quoad negotia quaedam domestica divisum imperium Maritus & uxor obtinere poterunt.

11. Vir, Foemina, Puer, Servus virtutem moralium & intellectualium sunt participes sed diversimode. Prout vero partium virtutes referuntur ad virtutem totius. Sic ad Domini, Mariti ac Parentis virtutes referendae sunt servi, uxoris, liberorum virtutes. Neque enim decet ut foeminae viriles virtutes exerceant, & ut Plato vult: Nec bellis intersint, ut si patriam liberosque tueri necesse sit, nec sagittas emittere ut Amazones, nec cum reliquis civibus jaculationem scite obire debent. Sed custodiam penu, radios, lanificium, culinam, educandorum liberorum dimidiam curam suscipiant. Neque temere sibi arduas scientias tribuant, quamvis Linguas & ejusmodi discere possint. Boni autem Parentis & Oeconomi est, ut plus studii impendat in homines quibus praest, quam in divitias. Res enim publica hominum educatio est, bonorum quidem bona, malorum contraria. Unde in Assuefactione & Educatione multum situm est. Dominus vero debet esse causa virtutis in servo & monendi sunt servi multo magis quam filii.

12. Oportet ut memores simus verborum Platonis; Scientes absque virtute exercitationes & possessiones omnes turpes malasque, es-

B

se.

se. Divitiæ namq; splendorem afferunt nullum eas cum ignavia possidenti, neq; enim sibi hic, sed alteri parat, possidetq; divitias. Neq; forma corporis atq; robur, timido ac pravo cum insunt, decorem præstant. Præterea scientia, quæ est remora à justitia aliave virtute, non sapientia, sed calliditas esse videtur. Et hinc quodammodo manifestum est, quo pacto societates sese habere debeant, quodq; Acquisitio ac Possessio bonorum, singulæ singulorum sociorum virtutes, ad S. B, Humanum seu Reip. & Civitatis ultimò referenda veniant.

DE REBUS PUBLICIS.

I. Doctrinam de primis Societatibus naturalibus, quæ sunt partes Civitatis, meritò sequitur illa, quæ est de societate sive Republ. Cumq; Politici sit, optimam Reipubl. formam considerare, necessum est reliqvas consideret. Hinc Philosophus recensere voluit varias Respublicas antiqvas, quarum notitiam & nostris temporibus summe necessariam arbitramur; Quin, & hanc, non sine causa, illi præferimus; quam quidam sibi tribuunt, dum veteres negligunt, & modernarum Rerumpubl. condiciones tantum scrutantur. Cum tamen majori emolumento veteres Rerumpubl. status à Philosopho accurate traditos, quam novos imperfectè & diversimodè hæctenus descriptos perpendere liceat; neq; enim adeò tutum est, hodiernarum Rerumpublicarum vitia taxare, quod simul fieri poterit ab illo, qui prisicarum Rerumpubl. constitutiones debite examinare cupit. Est enim omnium rerum unus velut orbis, nihil novi sub sole.

II. Respublica Platonis, de qua tanquam maxime celebri & speciosa primò agit Philosophus, minus vituperanda videtur, quia in tali Rep. ubi omnium bonorum communio viget, cives ut focii & amici tranquillè admodum vivere possunt. Licet vero necessum sit, ad vitam civilem, quò cives quædam inter se communia habeant. Platonis tamen sententia in libb. de Republ. sive justo, hac de re proposita probanda & excusanda non est. Tollit enim differentiam *Κοινωνίας* & *πολιτείας* neq; laudabilem civium ordinem discernit à confusa gente. Ipsa civitas perit, quando describitur, quod fiat propter bonorū omnium communionem tanquam unus homo, prout harmonia tollitur,

litur, quando ex multis sonus unus fit, & oratio quando ex multis vocibus una fit. Neq; in tali civitate morales virtutes exerceri poterunt, prout homo in statu solitario degens actiones virtuosas non edit. Præterea per inhonestam, maximè arduam, difficilem vel etiam impossibilem isthanc bonorum communionem, amor & amicitia, fulcra Reip. non autem diffidia evertuntur. Duo enim ad amandunt impellunt, proprium, & unicum, & contingere potest in tali civitate, ut Pater ac filius, frater cum fratre eandem ament, quod turpissimum est.

III. Non negamus quod Plato, referente Marfil. Ficino constituere forte voluerit, civitatem sui ipsius antequam orbis dominam, neq; tam multis timendam, quam cunctis gentibus venerandam, celestem quasi Hierusalem pro viribus in terris expressam, in qua sublati propriæ possessionis gratia contentionibus, communia sint, pro ipso jure naturæ omnibus omnia, communis sit copia, firma concordia, cunctorum una voluntas, ideoq; ad contemplandum semper expedita tranquillitas. An verò ejusmodi finem per talia media quæ in civitate sua adhiberi voluit, obtinere potuerit, nobis ex dictis non fit verisimile. Potius quædam in Platonis libb. de Rep. occurrunt, quæ fini huic contrariantur, quodq; illa candidè & reciter, & refutet Philosophus extra controversiam ponimus, qualia sunt seqq.

1. Quod potissimum de Magistratûs & militum bonis, eorumque communiione agat, parum sollicitus de Agricolis & opificibus, cum tamen ex his civitatûs partem constituat.

2. Poëtarum fabulas acriter reprehendat, neq; tamen sibi temperare ab iis potuerit, statuendo, quorundam hominum animis admixtum fuisse à Deo aurum, inde Rectores civitatum existere, aliorum argentum, hinc milites, nonnullorum æs, proinde opifices, reliquorum ferrum, & propterea Agricolas genitos esse. Quæ nisi commoda explicatione clariora fiant, eodem modo se habent, ut reliqua Poëtarum de quibus Plato pronunciat, quod rem ipsam haut quaquã intelligant, sed apparentem rei ipsius imaginem.

3. Quod bonorum omnium & uxorum communionem approber, neq; animadvertat, Amicorum bona communia esse in quantum quidam sunt amici, vel etiam ratione usûs, ut possessio propria maneat.

neat. Neq; uxores communes esse possunt vel debent, cum una pars nequeat esse multorum pars simul eodem modo. At vero uxor mariti pars est. Honestati etiam repugnat ista uxorum & bonorum communio, qualis non est in aliis societatibus, ubi socii quædam sed non omnia communia habent. Neq; enim hac ratione una fieri potest civitas, sed potius per informationem futurorum Civium.

4. Quod de Nuptiis certo tempore & modo illicito celebrandis, uxoribus per sortilegium eligendis, infirmis ac spuriiis crudeliter necandis, leges ferat, spurios dicat progenitos à viris ante ante 30. & mulieribus ante 20. ann. quodq; eandem informationem puerorum & puellarum suadeat quò & puellæ exercitiis bellicis assuefient. Hæc si non improbanda laudanda certè non sunt.

IV. Ex libb. autem Platonis de Legibus colligimus, quod componat Rempublicam ex gubernatione Cretensi Jacedemonia & Attica nova, illamq; Mediam esse velit inter Democratiam & Oligarchiam mixtam ex tyrannide sive Monarchia & Democratia. Sed h. m. illam determinat, ut Oligarchica sit futura. Omnes enim leges imprimis de electione Magistratûs eò dirigit, quò divitum potentiam stabilire possit, quando enim concedit facultates seu opes augeri posse ad certum numerum, non tantum id intendit, ne aliis nimia copia, aliis inopia obsit, neve cogantur quidam inter patriæ ulnas mendici esse, sed etiam majorem rationem divitum, quam pauperum esse habendam, innuit. Hinc propter inopiam duarum vel unius minuz possessores ab officio Magistratûs quodammodo removet. Eos, qui primum & secundum censum quatuor vel trium minarum ferre possunt, ad gubernacula Reip. admittit. Sic Oligarchico statui magis favet, quam Politicæ vel mixtæ Reip. Alias etiam in his libb. multa præclare dicta reperiri verissimum est. Constituit quatuor civitatis partes. Magistrat. Milites. Agricolas & Artifices cuilibet certum munus assignat, & ne ullus quicquam extra illud agat, serid præcipit. Deinde quod exiguum aliquod bonorum demensum quantum ad vitæ sustentationem vix sufficiebat præcipuis Civibus assignarit, videtur Temperantiæ & Liberalitatis exercitiis non usq; adeo esse proficuum; Temperantia enim & Liberalitas sunt circa usum rerum possessorum, quem tollit qui nimirum opum vim profligatam discipit; aut exacta bonorum æqualitatem singulis indiscriminatim adjudicat.

V. Phaleas verò Chalcedoneus legumlator itidē statuit quod Civiu bona debeant esse æqualia. Ac prout alii sic & ille Curam de rebus possessis præ aliis reb^o habuit. Hinc pronunciavit Agros esse æqualiter inter homines distribuendos, anteqvam Civitas fiat, & leges ferendas, quo ducerent pauperes filias divitum, & divites pauperum filias. Talis bonorum æqualitas Naturali societati & amori vim infert, nec tollit ullo modo seditionum causas. Fieri enim solent seditiones propter invidiam, cupiditatum vehementiam, molliem, injuriam, avaritiam. Hæc vitia optimis legibus & præceptis ad justitiam, temperantiam, labores, imprmis ad studium Philosophiæ manuducenribus extirpari possunt & debent. Neq; determinandæ sunt opes Civiu quoad pacis tempora, sed ut semper Civitati bene sit prospiciendum, quo Cives obsidionem hostium minus metuant. Quo modo Eubulus Eupl. odatem ab urbis obsidione deterruit. Neq; tantum ad agros respiciendum sed etiam ad alia, ut servos, pecora, nummos, suppellectilem in quibus consistunt divitiæ.

VI. Similiter Hippodami Milesii sententia consideranda qui primus à Reip. administratione alienus formam ejus delineare voluit, uti vero in vitæ genere, sic quoq; in doctrina singularis apparuit. Decem millia hominum quorum quidam essent Agricola, quidam Artifices, quidam Custodes seu milites & Magistratus singulis Civitatibus adjudicavit. Agrum in sacram, publicam & privatam portionem divisit. Leges de Contumeliis, damnis & morte tulit. Primus fuit qui in Græcia Provocationes seu Appellationes constituit & summum aliquod Consistorium ex senioribus. Voluit quo Magistratus Curam haberent, rerum Communium, peregrinorum, orphanorum. Hæc & similia non sunt improbanda, prout illa quæ hisce immiscuit, dum quibusdam Civibus omnem armorum & agrorum usum denegavit ac seditionibus ansam præbuit. Et quia fieri poterit commode ut omnes Cives ex uno agro vivant, non adeo erat necessum, in tot partes agrum distribuere & illius culturæ præficere unam Civitatis partem. Imprimis autem nova Hippodami judiciorum administratio quæ sine legibus, suffragiis & votis fieri debebat, laudem non meretur. Quo modo enim fieri potest ut bonus judex partim condemnet, partim absolvat accusatum? neq; existimandum est judicem pejurare aut mi-

aus dextre & libere judicare quando secundum leges optimas sententiam pronunciat. Et forte hic aliquis ageret de Appellationibus, judiciis præsertim ut nunc sunt in Imperio German. nos hæc seponimus & quod de Legibus mutandis & abrogandis Philosoph. affert breviter subjungimus. A legibus receptis & usitatis ad alias & novas leges facile migrare, vim legis infirmare ac debilitare est; & prudenter circumspicteq; heic agendum esse existimamus, neq; enim semper novarum legum inventoribus præmia decernenda sunt, prout non est tutum remunerationes largas concedere qui Reip. aliquid utile invenerunt.

VII. Quoad Lacedæmoniensium Rempubl. laudabile erat, quod habuerint servos ad negotia Civilia aptos, sed quia minus recte servorum munus curabant, hinc Helotia, exitiosa fuit apud illos. Servi enim nec nimis liberaliter nec nimis asperè tractandi sunt. Neq; Mulierum licentia ac luxuria quæ apud Lacedæmon. nimis frequens, ullo pacto in Rep. toleranda. Perinde verò est sive Mulieres imperent in Civitate, sive præsent imperio Viri qui subjecti sunt Mulieribus. Cæterum mixtam fuisse Lacedæm. Remp. ex Monarchia, cum Reges, ex Aristocratia cum Senatores, ex Democratia cum Ephoros habuerint juxta Philosoph. certum est. Nulli concedebant Dignitatem imperandi, nisi illam peteret, cum tamen rectum justumq; non sit petere debere Magistratum eum, qui illo est dignus. Ephori ex plebe electi male morati Senatoribus & Regibus mala inferebant plurima, & hivicissim quantum poterant illis. Neq; E. durare poterat Civitas, cujus singula partes præsertim imperantes, mutuis dissidiis ad Reip. perniciem occupatæ erant. Reges ex certa familia electi Navale imperium tempore belli administrabant, neq; ullâ regiam & summam potestatem pacis temp. obtinebant. Deinde quod Leges Lacedæm. à Lycurgo latas attinet; quodammodo Viris ad temperantiam exercendam potuit calcar addere, mulieribus & servis nequaquam. Quod autem convivia non nisi à divitibus celebranda esse injunxerit, ut quivis Symbolam conferret aut Civitate exiret, ut ad paucos redirentopes, ut divites siliabus divitibus elocandis magnas dotes suppeditarent, ne bona paterna venderent, sed ea donarent aut relinquerent aliis; ut essent bellicosi ac fortes Cives; hisce & similibus legibus non tam beatam

beatam & virtutibus ornatam sed divitem & potentem ordinare voluit Civitatem. Et hinc factum ut bonas leges neglexerint malas observarint Cives Lacedæm. qui temp. belli fuere Domini, pacis temporis voluptatibus dediti ac mulierum servi.

VIII. Parili modo Resp. Cretensium quorum legislator fuit Minos, aliquot naves habuit, similes illis qui in Rep. Lacedæm. notati sunt. Loco Ephorum Cosmos obtinuerunt, eos sæpius insulâ unacum Amicis ejecerunt subditi, & sic Dynastiæ addicti, Dominos illegitimè electos venerari coacti sunt. Diu incolumis mansit ob regionis ac loci commoditatem, quia peregrini hanc insulam raro accesserunt. Publica Convivia ibidem meliori modo instituta quam apud Lacedæm. fiebant ex ærario publico, quod conservabant tributis suis Periaci servi ac agricolæ. Damnanda lex erat de Masculorum concubitu ibi lata Viris, ne nimium liberorum procrearent, ut ap. Celtas ne se nimium uxoribus submitterent.

IX. Carthaginensium Respubl. inter enarratas optima fuit, ejus legislator dicitur Charondas, perennavit feliciter in statu mixto ubi Monarch. Aristocr. & Democratia obtinuit; immunis à Tyrannide & seditionibus, nisi quod prope finem ad Oligarchiam paulatim deflexerit. Democraticum erat, quod Regum & Senatorum decreta ad populum, per Centum ac quatuor Viros qui loco Ephorum erant, deferebantur, ut illa vel approbaret vel improbaret, contradicendi enim potestas populo huic erat concessa. Aristocraticum videtur, quod in electione Magistratus attendebant non ætatis sed virtutum præstantiam, quod controversiæ Civiles ultimò non à populo sed à Magistratu decise, quod quinque viris summam potestatem commiserint qui Ephoros seu tribunos plebis constituere & Regiam eminentiam imminuere potuerunt. Hinc factum ut successu temporis Magistratum ex censu divitiarum, proprio ausu ac errore contra institutum legislatoris elegerint; sic venalis extitit Magistratus, ac plura æstimata sunt divitiæ quam virtutes, Unus diversa Magistratus munia exercere voluit, cum tamè non nisi urgente necessitate uni plura sint demandanda officia, aliàs ut in bello Duces & milites, in corpore organico distinctæ partes sunt, sic etiã in Rep. diversi obtineant munera distincta. Subinde tamen Carthag. conviviis renovarunt

varunt amicitiam & Coloniis hinc inde factis Reip. salutem sartam
rectam conservarunt.

X. De Atheniensium verò Rep. notandum quod non semper
fuerit Democratica. Solon leges & Reip. administrandæ ratione
illis tradidit. Ante illum purè Oligarchica extitit, eam ut corrigeret
Solon, mixtam ex Aristocr. Olig. & Democratia introducere tenta-
vit, voluit enim quò juxta virtutes Magistratus eligeretur, quò Sena-
tus Areopagiticus ex divitibus fieret, quò penes populum judicandi
potestas esset. Sed post victoriam quam An. M. 3470. circa Salami-
nem Xerxe profligato obrinuerunt, Cives Atheniens. superbiæ se
manciparunt, hinc neglectis Magistratu & Senatu, Dæmagogos sibi
constituerunt, & sic ad statum Democraticum devenerunt. Inter
Dæmagogos Ephialtes & Pericles insignem huic Reip. mutationem
intulerunt. Post alii atq; alii extiterunt Legum interpretes & lato-
res, quorum nomina & res gestas describit Philosophus.

XI. Ad hanc doctrinam notamus sequentia 1. Cicero, inquit,
omnium ferè civitatum non Græciæ solum sed etiam Barbariæ mo-
res, instituta, disciplinas ab Aristotele; à Theophrasto leges etiam co-
gnovimus. Laërtius: Respublicas Civitatum 158. Aristoteles descri-
psit. Joan. Grammaticus 255. Civitatum constitutiones & ritus Ari-
stoteles consignavit. Quæ testimonia quam vera sint ex ipsis Arist.
libb. animadvertere licet.

2. Marfilii Ficinii testatur omnes illustres legum condito-
res, inventiones legum in Deum retulisse sed per diversa nomina
& media, ut Platonem in Jovem & Appollinem cum leges daret Ma-
gnæsiis ac Siculis. Lycurgum in Apollinem, Minoem in Jovem.
Charondam in Saturnum. Solonem & Draconem in Minervam &c.
Putamus fuisse hanc piam quandam fraudem superstitiosæ multitudi-
ni non noxiam. Melius tamen fecit Aristoteles dum Stagiritis suis
civitatem ab interitu servavit, iis legis dedit seq; earum Autorem pro-
fessus est; neq; permittit religio ut Mosen ad eandem legum latorum
seriem (quod Ficius facit). referamus.

3. Philosophus annotat quod Leges Positivas quidam legisla-
tores tulerint, ut Charondas falsis testibus pœnam determinavit.
Philolaus ad Thebanos delatus una cum Diocle propter injuriam
Corin-

Corinthiorum, contra institutum Phalæ inæqualitatem bonorum comendavit. Periander voluit ut Ebrii delinquentes duplici pœna afficerentur; hoc magis utile, quam iustum est. Pittacus, Solon, Draco Atheniensibus varias leges dederunt. Plato Cives omnes ambidextros efficere voluit, quod naturæ hominis non est consentaneum. Illi ferè omnes fuere Prudentes legumlatores partim Tyranni, neq; Sapientum nomine circumferendi sunt, prout putandum non est Philosophos Antiquos Sapientiæ ac Prudentiæ deditos fordidò vestitu & moribus inhumanis fuisse conspicuos; de Hippodamo Philosophus aliud refert ac alii de aliis simile quid narrant.

4. Plato pro legum Conditoribus non iniq; tale ponit proœmium: Veniam dare legumlatore, hi quibus leges ponuntur, debent: quoniam publicis gubernandis incumbens, nunquam poterit privatis quoq; calamitatibus simul consulere, ideoq; ignoscendum si legislatoris ea nonnunquam præcepta complecti nequeant, quæ singulorum calamitarum ignarus conscripsit. Et alibi: Has inquit nos negamus esse Respublicæ. neque censemus rectas esse eas leges quæ non sunt communiter totius Civitatis gratiâ positæ. Qui enim aliarum partium gratia leges condunt, eos non Cives sed seditiosos putamus, & jura sua frustra sic ab eis vocari censemus. Hæc, quæ ratione tum Antiquis LL. conditoribus tum modernis dicta sint, quilibet rerum gnarus æstimare poterit.

XII. Ex historia constat quod variæ sint Politicæ quomodo autem constitutæ esse debeant Politicus considerare ac determinare potest. Certum est quod Politia consistat in ordine obtemperantiũ & imperantium, ubi bonus ordo viget ibi bona Civitas & Politia, & ubi nullus vel perversus ordo est, ibi nulla vel perversa Politia. Antequam v. quid Civitas sibi velit, stare possit, quis Civis dicatur notũ sit. Non qui inhabitat eundem locum in quo vivunt Cives, Civis est, nec qui juris est particeps ita ut in iudicio se sistere teneatur. Quidam sunt Cives facti, tantum inquilini, partes Civitatis & Civium ministri. Dantur etiam imperfecti Cives ut pueri seu liberi Civium, & effecti sed illi non sunt absolutè dicti Cives, nisi Magistratũ sint participes, sive Magistratũ sint tempore definiti, sive non sint. Cives enim iudicare & deliberare debent de iis quæ totam attinent Rempubl. Et

C

hoc

hoc maximè competit Civibus in Democrazia; deest enim ut tales Cives sint participes iudicii ferendi & in concionibus sententiæ pronuntiandæ. Aliàs extra dubium est, quod in alia atq; alia Republicâ Civis sit alius atq; alius; Et pro ut Civitates secundum prius & posterius, specie differunt, quia una magis, altera minus dicitur, sic etiam Cives, & qui in Democratiâ bonâ & perfectâ Civis dicitur, maximè Civis est.

XIII. Constabit etiam quod ex Civium indole & conditionibus æstimanda sit Civitas ac tum Eadem dicenda, quando multi homines commode sub iisdem legibus vivere, eandemq; imperii rationem ferre possunt, ac ad finem unum obtinendum, convenerunt. Non parum huc confert, si locus ad inhabitandum aptus sit, nimis amplus esse haut debet, ut Babylon est, ac si Peloponesus esset murò circumdatus. Et prout Roma diceretur, sive Galli sive Itali eam inhabitarent, modo viverent legibus Romanis, sic Eadem manet Respublica ac Civitas, licet homines & incolæ mutantur, modò eadem administrationis forma supersit. Ut verò in omni societate aliis atq; aliis virtutibus instructi esse debent socii; sic potissimum in maxima. Sine virtutibus quippe opera Civium quibus salutem Politicæ sive Civitatis acquirere cupiunt, nullomodo perfici queunt. A virtute enim est, munere suo probè fungi. Distinguendum tamen inter Bonum Civem & virum bonum, & inter horum virtutes. Boni enim viri ac boni civis virtus non est eadem.

XIV. Patet autem quod Civis opus sit, procurare totius Civitatis salutem, & virtus ejus sit habitus secundum quem hoc præstat. Viri boni virtus perfecta est & eadem numero in omni Republ. constans ex prudentia & virtutibus moralibus simul sumptis. At boni Civis virtus pro diversa Republ. alia atq; alia esse debet. Non enim est bonus civis in Aristocrazia, qui virtutibus Civis boni in Democratiâ viventis instructus est. Evenire potest ut malus homo, Civis boni virtutem habeat, si quærat suæ Reipubl. salutem. Ut Athenienses virtutem bonorum civium habuerunt, viventes in mala Democratiâ. At boni viri virtus eadem & una semper est. Certum tamen est, quod virtus Civis boni imperantis in bona Rep. vel ejus qui imperare potest, & virtus boni viri conveniant, adeoq; virtus boni viri & virtus optimi

optimi Civis in opt. Reipublicæ forma sint eadem, cum utriusq; finis sit honestè agere, & quidem qvam maximè.

XV. Ideoq; maximè in respectu ad finem civium imperantium determinari solent formæ Rerumpubl. an bonæ sint vel malæ. Si enim imperantes non Reipublicæ & obtemperantium gratia, sed propter commodum privatum imperent, mala dicitur Respublica, contrario modo se bona habet. Hinc tria sunt bonarum & totidem malarum Rerumpubl. genera. Ubi unus imperat pro communi obtemperantium bono, dicitur Regnum. Ubi unus imperat tantum sui commodi gratiâ dicitur Tyrannis. Ubi pauci imperant pro communi bono, quo honestè vivant omnes, dicitur Aristocrazia, vel quia optimi imperant aut propter optimum finem. Ubi pauci imperant sui commodi gratiâ propter divitias aut potentiam dicitur Oligarchia. Ubi tota multitudo imperat pro bono cummuni dicitur Politia in specie vel Timocrazia. Ubi multi imperant, non pro communi bono, sed pro libertate pauperum dicitur Democratia mala sive Ochlocrazia.

XVI. Ex hac de Rebus publicis in genere doctrinâ, Coronidis loco seq. notamus: 1. Non malè Philosophus cum de virtute boni Civis adeoq; bona Civitate tractat, à Civium numero excludere videtur iliberales Artifices, qui ad servos pertinent, & constat quod Artifices olim non fuerint participes Imperii. Virtus autem boni Civis est parere & imperare posse, & quidem imperio obtemperando discere oportet imperio uti. Hinc virtus Civis descripta non est cuiusvis Civis sed ejus qui liber est, & ab operibus necessariis abstinet. Et virtus boni viri & virtus Civis non omnis, sed prudentis Politici, qui Dominus est, vel esse potest, pro eadem habenda.

2. Cum Reipubl. vocabulum sit ambiguum, non est exigenda communis quædam Reipublicæ Definitio, quæ fiat per abstractionem, ut scientiam non definitio ut abstracta est à bona & mala. Rectè tamen dicitur quod Respubl. sit ordo Civium obtemperantium, & imperantium, imprimis imperantium.

3. Diversitas Oligarchiæ & Democratiæ non consistit in multitudine & paucitate, nisi per accidens, sed in paupertate, & divitiis. Non tamen existimandum est, voluisse Philosophum ex paupertate & divitiis

& divitiis species Rerumpubl. discernere, sed tantum quod contingat alia Reip. forma, quando quidam imperant propter divitias, alia quando quidam pro libertate pauperum imperant, manifestum esse pronunciat. Ideoq; paupertas saltem per accidens discrimen Reip. facit, amor divitiarum & libertatis tanquam finis imperantium perfecte, prout per accidens est, quod pauci sint, qui ament divitias, & multi qui libertatem.

4. Solent Rerumpubl. durationibus annum quendam Climactericum sive fatalem Periodum assignare, quod forte æquè probabile videbitur Politicis optimæ notæ, quam illud juxta Platonem figmentum de Politicis, quando inquit: Deo custodiente politiæ nullæ erant, neq; marium sœminarumq; ad filios procreandos conjugia, omnes ex terra reviviscabant, rerum præteritarum immemores. Post Deus gubernaculorum dimissis habenis, in sui ipsius rediit speculam, nunc Mundum fatum revolvit & cupiditas innata.

VITIOSUM UBIQUE QVOD NIMIUM
OMNIS VITA SERVITIUM.



Ora extollentem Te Augusta Academia Mater
Audiit, & solo hoc jam cupit ore loqui.
Principia imperii quæ sint gratissima narras,
Dum tuus in docto pulvere sudat amor.
Perge modò & quo Te dextræ trahit indolis amor
I modo, præ reliquis eminent iste labor.

M. M. W. Præses.

Sic juvat eximios quondam tentasse labores
Atq; animum doctis applicuisse viis!
Scilicet ingenuas dum Te juvat ire per artes
Adjungo studiis prospera vota Tuis.

F. F.

Christophorus Forberger,
SS. Theol. Stud.





optimi Civis in opt. Reipublicæ forma sint
sit honestè agere, & quidem quam maximè

XV. Ideoq; maximè in respectu ad
um determinari solent formæ Reipubl. a
enim imperantes non Reipublicæ & obte
propter commodum privatum imperent,
contrario modo se bona habet. Hinc tria s
malarum Reipubl. genera. Ubi unus in
temperantium bono, dicitur Regnum. Ubi u
commodi gratiâ dicitur Tyrannis. Ubi pa
muni bono, quo honestè vivant omnes, dici
optimi imperant aut propter optimum fin
rant sui commodi gratiâ propter divitias au
garchia. Ubi tota multitudo imperat pro
Politia in specie vel Timocratia. Ubi multi
muni bono, sed pro libertate pauperum dicit
Ochlocratia.

XVI. Ex hac de Rebus publicis in genere
co seq. notamus: I. Non male Philosophus cu
adeoq; bona Civitate tractat, à Civium nume
liberales Artifices, qui ad servos pertinent, &
olim non fuerint participes Imperii. Virtus a
rere & imperare posse, & quidem imperio
oportet imperio uti. Hinc virtus Civis d
Civis sed ejus qui liber est, & ab operibus ne
tus boni viri & virtus Civis non omnis, sed
Dominus est, vel esse potest, pro eadem habet

2. Cum Reipubl. vocabulum sit amb
communis quædam Reipublicæ Definitio, qu
ut scientiam non definitio ut abstracta est à bon
dicitur quod Respubl. sit ordo Civium obte
rantium, imprimis imperantium.

3. Diversitas Oligarchiæ & Democra
titudine & paucitate, nisi per accidens, sed i
Non tamen existimandum est, voluisse Philo

usq; finis

imperanti-
nalæ. Si
ratia, sed
Reipublica,
e totidem
muni ob-
ntum sui
pro com-
vel quia
uci impe-
citur Oli-
ni dicitur
pro com-
mala sive

onidis lo-
oni Civis
videtur il-
Artifices
is est pa-
o discere
cujusvis
t. Et vir-
litici, qui

exigenda
ctionem,
Se tamen
imperan-

lit in mul-
& divitiis.
upertate
& divitiis

